

copiosus; sicut cibationem magnam, non ex ventriculi dissentione, sed ex assumptis cibis solemus diiudicare. Respondeo quod soluitur ex his quæ ibi dicit: licet inquit, pectus multum dilatari possit absque attractione multa aëris, non tamen aspera arteria, quæ est proprium spirandi instrumentum & proximum; sed cum illam inspicere non liceat inspicimus aërem: in inspiratione igitur semper aëris attracti multitudo principalis instrumenti dilatationi responder, non pectoris. Sed dicetis, Galenus 4. de locis, duplicem facit inspirationem, magnam alteram ob vehementem pectoris dilatationem, reliquam ob multi aëris attractionem. Diuiditur & ibi prima, quia vel fit sine superiorum musculorum actione, vel ipsa concurrente. Respondeo, quod hinc Galenus sequitur morem antiquorum, cum non sit proprius locus tractationi; in primo de spirandi difficultate; sed rursus ibi dicit: Animadvertere oportet ne aliquando decipiamini, putantes eam spirationem quæ ob virium imbecillitatem omnibus agentibus musculis efficitur, eandem esse cum magna, quam Hippocrates nomine sublimis spiritus vocare solet. Et tamen hanc sublimem paulo post facit membrum alterum magnæ spirationis. Respondeo quod sublimis spiratio duplex, magna quæ fit cum robore virtutis, & sublimis tantum quæ fit à virium imbecillitate.

CONTRAD. XLIII.

Caliditas an pulsus vehementes faciat.

Galenus in introductorio pulsum dicit quod caliditas facit pulsus celeres, magnos, frequentes, vehementiores non ita. Sed primo de causis pulsum, & primo de præfatio, vehementes pulsus semper à robore virtutis fiunt. Respondeo, solutio est expressa à Galeno tertio de causis pulsum, ubi prima autoritas declaratur: inquit ibi Galenus, etsi vehementia non fiat à calore, quia tamen vehementem pulsum comitantur celeritas, & magnitudo, ne tyrones confundantur hac distinctione, tunc quia quidam Medici scriptum reliquerunt vehementiam non esse nisi celeritatem cum magnitudine, idcirco vehementem hinc placuit appellare; quoniam incerta & confusa quando sunt recepta, & facilia inquit Galenus: præstant certis, & definitis; sed profundissimis, in docendo, tyronesque erudiendo.

Tom. VI.

CONTRAD. XLIV.

Pulsus crebri, & celeres aut inaequales quid significant, Quid sit Rythmus in pulsu.

Galenus secundo de Præfatio ex pulsibus, declarat raritatem in pulsu duplicem esse, alteram ob longitudinem quieris post distentionem, alteram quieris post contractionem; utramque autem dupliciter fieri posse, vel breuitate motus prioris, vel retardato posteriore. Unde raritas sex modis simplicibus fiet, compositis autem ex utraque quiete nouem; ut sint modi vniuersi quindecim, totidem oppositi iuxta causas in crebritate. De eâ igitur loquens habet hæc verba. Quando syncerus, paucissimisque iniquitatus excrementis distentione concitat maiorem, simulque celeritatem, contra qui confusus est excrementis putribus, contractionem. Vbi magnitudine distentionis pulsus crebrior fit, calorem purum indicabit multum in corpore esse. Hinc Galenus sibi contradicere videtur, nam antea dixerat: contra protenduntur si vel breuior fuerit prior motus, vel si remoretur posterior: Sed celeritas facit breuiorem motum; igitur est causa raritatis, non crebritatis. Sciendum quod littera illa est confusa, & difficilior reddidit, qui addidit; non intelligens Galeni sententiam. Hæc verba: (Ex anticipatione) vel debuit potius addere, (Ex longitudine) sensus tamen Galeni est clarus, crebritas quæ fit post distentionem, fit vel distentionis ipsius magnitudine, quæ & si celeritatem adiungat; manet tamen distentio longior, tuncque distentio erit magna, celer, & crebra: & significabit caloris synceri abundantiam. Si verò ob anticipationem contractionis, erit etiam celer ratione contractionis & frequens, indicabitque caloris impuri, seu fuliginis ipsius copiam. Externam autem quietem vocat quæ distentioni succedit. Sicut è contrario interna est, quæ contractionem sequitur. Rursus est dubium in sequentibus verbis cum dixit: si quies illa quæ distentioni succedit, magna fuerit ob distentionis celeritatem, calorem purum imminutum demonstrat. Et tamen primo de pulsum causis, dicit familiares pulsus caloris innati defecti, esse paruos & tardos. Idem infra, cum facultas robusta fuerit, & calor innatus defecerit, pulsus erunt magnitudine moderatâ, sed tardiores & bene rari. Respondeo, littera illa legi debet. Ob distentionis celeritatem seu breuitatem, non celeritatem; In interna autem quiete crebrior pulsus, ob contractionis longitudinem: excrementa fuliginosa aucta ostendit: si ob anticipationem distentionis, abundantiam caloris puri. Eodem modo de raritate interna quæ contrarias ob causas contraria significat. Et pariter si compositæ fuerint compositionem causarum decernunt. Sed dicit quietem externam facile sensu dignosci posse, internam autem obscuram. Atque hæc dubia dissoluntur circa litteram: sed circa rem quatuor

LII 3 alia